

44

2816

DISPUTATIO THEOLOGICA,

Purgatorio Romanensium.

2 V A M

Assistente summi numinis gratia

S V B P R A E S I D I O

CONSTANTINI CÆSARIS dicti L'EMPEREUR ab OPPYCK, S.S. Theologiaz Doct. & in Acad. Lugd.-Batav. Professoris,

Publico examini, exercitii gratia, subjicit

JOHANNES PROGULBICKI, Samogita.

A U T H O R E T R E S P O N D.

Ad diem Marii, loco horisque solitis.



L V G D V N I B A T A V O R V M

Ex Officinâ BONAVENTVRÆ & ABRAHAMI

ELSEVIR. Academ. Typograph.

clcclo c xlviii

Admodum Reverendis, Nobilissimis, Clarissimis & Doctissimis Viris,

- R. D. THOMÆ à LASKO CHO CZEWSKI, Superattenden-
ti Ecclesiarum Orthodox: Palatinatus Vilnenis gravissimo:
R. D. NICOLAO WYSOCKI, Superattendanti districtus Podlachien-
sis meritissimo:
R. D. ANDREÆ MUSONIO, Superattendanti Ecclesiarum districtus
Neogardiensis vigilansissimo:
R. D. SAMUEL TOMASZEWSKI, Superattendanti Ecclesiarum
Ducatus Samogitia diligentissimo, prudentissimo:
R. D. SAMUEL MINVID, Superattendanti Ecclesiarum tractus
Transviliensis gravissimo, piissimo:
R. D. JOHANNI RANIZEWSKI, Superattendanti Ecclesiarum
Rutenicarum dignissimo:
R. D. STEPHANO Cluentio BACZKOWSKI, Conseniori di-
strictus Trans-Vilienis:
R. D. JOHANNI LUTOMIRSKI, Conseniori Ecclesiarum Duca-
tus Samogitia:
R. D. REINOLDO ADAMI, Illustriss. Aulæ Radzivilianæ à sacris &
Scholarchæ Vigilansissimo:
R. D. MELCHIORI MONKIEWICZ, V. D. M. Ecclesiæ
Crosnogolicensis:
R. D. PETRO HORN, Pastori Eccl. Poszuszyensis:
R. D. ALEXANDRO KAMIENIECKI, Ecclesiastæ Po-
pielensi:
R. D. JOHANNI DOMASOWIO, V. D. dispensatori Ec-
clesiæ Szydłoviensis:
R. D. MICHAELI MATTISSEWICZ, V. D. Admin. Ec-
clesiæ Vilnenis:
R. D. IOHANNI HALESIO, S. Euang. Admin. in Eccl. Keydan.
disertissimo, & in Gymnasio S. S. Theologiae & Philosophiae Professori eximio & vigilan-
tissimo:
R. D. JOHANNI FRIDERICO STARCKIO, Gymnasi Key-
danensis Rectori meritissimo, S. S. Theologiae & Philosophiae Professori ce-
leberrimo & fidelissimo:
R. D. JOHANNI REYMER, Ecclesiæ Gialoviensis Antistiti do-
ctissimo:
R. D. MICHELI WYSOCKI, Eccl. Rosjeniensis Pastori eruditissimo:

*Dispurationem hanc de Purgatorio ut D.D. fautoribus & promotoribus
studiorum meorum summa observantia colendis*

Servus humillimus:

L. M. Q. consecro

JOHANNES PROGULBICKI,

Auth. & Respon.



95250

9885

BC 246 069-10

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
PURGATORIO ROMANO,
prout describitur à Doctoribus Romanis pro-
bans nullum tale dari his sequentibus
rationibus.

THESES I.



Acta Scriptura duorum tantum locorum illico post mor-
tem mentionem facit. E. Purgatorium non datur. Antec.
Marc. 16. 16. Ioh. 5. 24. Luc. 23. 43. 2. Cor. 5. 1. Apoc. 14. 13.

II.

Ioh. 3. 16. 18. Qui moriuntur aut sunt fideles, aut non. Si fideles,
transiunt à morte invitam. Ioh. 5. 24. Esai. 57. 1. Si in fideles, conde-
mnantur.

III.

Si sanguis Christi purgat nos ab omnibus peccatis, cum quibus
nobis per omnem vitam luctandum est, tum non datur aliud purga-
torium: Verum prius, ergo & post. 1. Ioh. 1. 7. & 2. 1. 2. 2. Cor. 5. 19.
21. Rom. 7. 24. 25.

IV.

Si pœnæ temporales sunt tantum hujus vitæ; ergo non dantur in
purgatorio. Ver. pr. Erg. & post. 2. Cor. 4. 1. & 6. 2. Gal. 6. 7.

V.

Si nemo potest fideles apud Deum accusare & condemnare, tum
fideles non necesse habent ingredi purgatorium; verum prius; ergo
& post: Rom. 8. v. 33. 34. & 4. 24. 25.

VI.

Si datur purgatorium, erit vel pœnitentium, vel impœnitentium.
Non impœnitentium, quia tales condemnantur: non pœnitentium
quia ipsorum peccata non recordatur Deus Ezech. 18. 22. Ierem. 31. 34.
Iam, quorum Deus peccata non recordatur, illi non puniuntur; atqui
pœnitentium Deus peccata non recordatur. Ergo pœnitentes non
puniuntur.

Excip. Si recordari iniquitatum sit punire demerita; ergo & recordari justiarum esset remunerare merita. *bz.* concedimus antec. neg. conseq. quia justitiae non sunt bona merita, cum sint imperfæc. & peccatis coinquinatae, nec non debita; at iniquitates sunt mala & perfecta demerita.

Excip. 2. De illis esse verum, qui pœnitentiam egerunt perfectam in hoc mundo, non vero qui imperfectam seu simplicem conversionem nudo tantum gemitu declararunt. *r.* Neque nos intelligimus nudos solummodo gemitus quales habuit Iudas Iscariot, verum requiri mus dolorem ex intimo corde provenientem, desiderium Deum deprecandi, fiduciam in merito Christi, & propositum non amplius peccandi.

VII.

Ecclesiastes. 9. v. 5. 6. Quicunque sunt in purgatorio, juxta doctrinam illorum, habent partem aliquam eorum, quæ fiunt sub sole. At nemo mortuorum, partem habet eorum quæ fiunt sub sole. Ergo nemo mortuorum est in purgatorio.

VIII.

Si datur purgatorium, tum pœnam vel culpam purgat: non culpam ut fatentur, neque pœnam, quia eam gravissimam infert. At qui auferre debet pœnam quod eam purgat, non inferre usque ad ultimum quadrantem. Ergo nihil purgat.

IX.

Pontifex Romanus aut habet potestatem animas ex purgatorio liberandi, aut non: si habet & ea non uitur, nisi interveniente pecunia crudelis & avarus est; si non habet tum maxime peccat hanc potestatem jactando, tot viduas & orphanos hoc nomine expilando.

X.

Si omne peccatum natura sua est mortale, tum purgatorium Romanense non datur. Verum prius, ergo & posterius, antecedens probatur, quia minimum peccatum est totius legis transgressio. Iacob. 2. 10. & qui in minimis mandata Dei transgreditur, non ingredietur regnum cœlorum. Deut. 27. 26. Matt. 5. 19.

XI.

Quorum peccata in Christo sunt condemnata, & propter Christum remissa actecta, illi propterea amplius non puniuntur; atqui omnium

omnium fidelium peccata sic in Christo remissa sunt, ergo illi propter ea amplius non puniuntur. Rom. 8. v. 1. 2. 3. 2. Cor. 5. 19. Heb. 10. 17. 18.

XII.

Argumentamur ad hominem. Papa potest per indulgentias singulos ex purgatorio liberare: aut ergo indulget omnibus; aut non: si non, est crudelis; si indulget, ergo nemo est in purgatorio.

XIII.

Aut vera sunt, quæ de virtute sacrificii Missæ, de indulgentiis Pontificiis & Episcoporum, de confessione auriculari sacerdotibus, facta, de peregrinatione ad sancta loca suscepta, de merito & intercessione sanctorum & reliquiis eorum scribunt; aut non: si vera sunt, tum non datur purgatorium. Nam quivis centies mallet osculari pedem depictum beatissimæ virginis Mariæ, & propterea obtinere remissionem peccatorum, quam uestigia in purgatorio igne duratio ne tantum differentia ab infernali; si vera non sunt, qua fide, veritate & sinceritate talia docent.

XIV.

Cui remissa sunt peccata, ille de gratia Dei dubitare non debet; at cui indulgentiæ præbentur, sunt peccata remissa: ergo ille de gratia Dei dubitare non debet, & per consequens, neque purgatorium timere.

XV.

Si dabitur purgatorium aliud præter sanguinem Christi purgans peccata nostra, tum Christus D. non perfectè satisfecit pro peccatis nostris, neque nos perfectè purgavit; at Christus D. perfectè satisfecit pro peccatis nostris & nos ab illis perfectè purgavit: ergo non datur purgatorium. Heb. 10. 14.

XVI.

Si dabitur purgatorium, ergo animas fidelium Diabolus tanget: consequens est contra Scripturam, Sap. 3. v. 1. Ergo non datur purgatorium.

XVII.

Si Christus perfectè satisfecit pro pœnis nostris omnibus; ergo nullæ pœnæ satisfactoriæ nobis restant. Verum prius: ergo & posteriorius: quia redemit à maledictione legis, ergo & à pœna quæ est maledictum legis, Gal. 3. 13. quia est factus peccatum pro nobis, id est hostia, 2. Cor. 5. 21.

XVIII.

Quibus sublata est culpa , illis pæna non infligitur propriedita: nam regata mutuo se ponunt & tollunt : atqui omnibus fidelibus per mortem Christi sublata est culpa , ergo & pæna.

Regerunt. Si Deus remissa culpa illicè remittit pænam , qui sit, quod Politicus Magistratus in homines severissime animadvertisat, quos scit cum Deo in gratiam rediisse & per sacerdotem absolutos esse. R. Magistratus animadvertisit in homines non eo fine ut supplicio capitali , Deo pro peccatis suis satisfaciant ; verum ut cives Republicæ possint tuto vivere , & exorbitantes metu pænæ coegerantur.

Iam videamus rationes ipsorum stramineas , quibus in nixi , pro purgatorio tanquam pro aris & focis pugnant.

I.

Si Deus remissa culpa , non semper remittit pænam temporalem , ergo datur purgatorium in quo post hanc vitam satisfaciendum est pro pænis temporalibus. Antec. prob. 2. Sam. 12. 13. 14 David post impletam veniam peccati , punitur morte filii , & 2. Sam. 24. 13: ob numeratum populum datur optio belli , famis & pestis. Exod. 32. multa millia interficiuntur ob adoratum vitulum , quibus tamen Deus ob Mosis preces testatur se peccata remisisse. Num. 14. 20. 21. Exod. 32. 32. 33. Moses & Aaron , quod non glorificariint Deum ad petram in deserto moriuntur. Maria soror Mosis lepra punitur. I. Cor. 11. 30. indigne communicantes Sacramento Cœnæ , morte afficiuntur , qui tamen reconciliati fuerant.

R. Concedimus Deum quandoque immittere gravia iis , quibus peccata sunt remissa , at non propterea ut essent pænæ satisfactoriae pro peccatis ; verum ut essent pænæ correctivæ , paternæ castigations , probationes , afflictiones exemplares temporales , docentes nos , Deum peccata odisse , proindeque velle ut discamus cavere ne imposterum peccemus.

Excip. 1. Non dixisse Scripturam Davidi , ut caveas in futurum , sed quia blasphemare fecisti , filius tibi morietur. R. Etiam si filius mortuus sit , ob peccatum istud Davidis ; tamen finis mortis ipsius erat emendatio Davidis futura. Excip. 2. Absurdum est , morte punire homines ut deinceps cautius vivant. R. Non est hoc absurdum.

absurdum in foro politico, ut supplicium capitale aliis sit exemplo, quod sibi caveant: deinde moriturus se ardentiis convertit ad Deum, agnitaculpa. Cor. 11. fin.

R. 2. Negamus, mortem piis infligi in pñnam peccati, nam etiam ii moriuntur quibus remissa est culpa & pñna: præterea mors piis pñna esse nequit, quia morte eripiuntur è peccato, Sap. 4. 7. 11. 14. Esai. 57. v. 1. 2. Inst. Scriptura S. indicat mortem infligi in pñnam peccati post remissam culpam. Rom. 5. 12. R. Mors infligitur in pñnam peccati infidelibus, fidelibus vero propter mortem Christi mutatur in abolitionem peccati & in transitum ad vitam æternam. Ioh. 5. 24. Heb. 2. 14.

II.

1. Cor. 3. 13. 14. 15. R. Hic locus agit de igne metaphorico, qualis in purgatorio non est, dicit enim quasi per ignem 2. Ignis hic agit in hominum opera bona & mala, purgatorius in animam hominis; & à labe ac macula purgat tantum peccata venialia. 3. Per ignem hunc omnes transibunt etiam Apostoli v. 13. Per ignem purgatoriis quidam. 4. Ignis hic explorat opera cujusmodi sint, purgatorius punit. 5. Igne hoc jacturam quidam facient operum suorum: cuius operis jacturam faciant animæ in purgatorio, an peccatorum? imo lucrum dicendum est. Ignis ergo hic significat, judicium Sp. S. verbum Dei, ignem afflictionum persecutionum ac conscientiæ, qui efficit ut errores in vita & doctrina admissos agnoscamus & abjeciamus.

III.

Matth. 12. v. 32. Si datur quoddam peccatum quod non remittitur neque in hoc, neque in futuro sæculo; ergo dantur quædam peccata quæ remittuntur in futuro, nimis in purgatorio per pñnas temporales. R. Concedimus in futuro sæculo remitti peccata, verum eadem peccata quæ hic sunt remissa per ministerium Euangeli, ibi publica declaratione judicis. Joh. 20. 23. Actor. 3. 19. 2. Tim. 1. 18.

R. 2. Si aliqua peccata post hanc vitam remittuntur; ergo non amplius puniuntur: nam punire & remittere eadem contraria sunt quæ state simul non possunt. Vel si puniuntur tum non remittuntur: nam quod persolvitur, non remittitur.

IV.

IV.

Philip. 2. 9. 10. Qui sub terra flectunt genua, sunt vel damnati in inferno, vel mortui in sepulchris, vel in purgatorio viventes. Non damnati, quia illi Christum honorate non solent; neque mortui in sepulchris. Psalm. 115. 17. Ergo in purgatorio degentes. & Gratis assumunt geniculationem designare verum pietatis cultum; cum potius significet subjectionem qua universæ creaturæ Christo ut Domino subjiciuntur totaliter in extremo judicio. Rom. 4. 10. &c. 2. Diaboli non laudant subjectione voluntaria, laudant tamen involuntaria; cum sepe coguntur Dei laudes coram hominibus confiteri, & laudabunt, Luc. 4. 34. 35. Esai. 45. Iac. 2. 19.

V.

Apoc. 5. 3. 13. 14. Per eos qui sunt in cælis intelliguntur Angeli; qui in terra, homines; qui sunt sub terra, non possunt intelligi alii, nisi qui sunt in purgatorio. & Non solummodo intelliguntur Angeli & animæ piæ mortuorum, verum etiam virtutes cæli, item Sol Luna & Stellæ, quæ Deum laudare dicuntur Psalm. 69. & 89. & 149. Quoniam materiam & occasionem præbent creaturis intellectuibus laudandi Deum. & Per subterraneos, non possunt intelligi incolæ purgatorii, quia etiam damnati sub terra collocantur, & a Deo ipso res marinæ, quæ tamen non sunt in purgatorio Exod. 20. 4. Deut. 4. 18.

VI.

Matth. 25. 26. Luc. 12. 58. Christus D. docet esse aliquem carcerem in quo animæ torquentur donec reddiderint ultimum quadrantem; ergo hic carcer est purgatorium, ex quo aliquando exhibunt. Resp. Nulla est consequentia, Christus mentionem facit carceris; ergo est purgatorium: cur non potius per carcerem intelligent carcerem materialem hujus mundi, & infernum, quo horratur ad reconciliationem utrosque qui nolunt actori reconciliari sine judice, quibus pacem ambiendam docet, nisi velint in carcerari & ibi manere in æternum. Regerunt se non posse intelligere infernum, propter particulam additam donec solveris, quæ non est exclusiva temporis futuri, & quæ non videtur recte posse dici, nisi aliquando consequatur finis solutionis. & Imo vero particula donec hoc in loco, est exclusiva temporis futuri, idem significans quod nun-

nunq uam, (ut in his locis Matth. 1. 25. Sam. 6. 23.) quia nemo ultimum quadrantem dicitur solvere, nisi qui totum debitum solvit.

VII.

1. Cor. 15. 29. Baptizari alicubi in Scriptura significat affligi. Ergo & hic, ut sit sensus, quid facient qui orant & jejunant, & gemitunt pro mortuis, si mortui non resurgunt? **R.** Concedimus in quibusdam locis scripturæ, baptizari significare afflictionem, Marc. 10. 28. Luc. 12. 50. at in hoc loco sic accipi ut dicamus affligi eorum loco qui afflidunt in purgatorio, negamus, idque propter locum illum quem legimus 1. Thess. 4. 13. quem sic non scripsisset, si se res aliter non habuisset. Est ergo hic fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, quam alia quoque sequitur, ignoratio elenchi. Nam hic locus non agit de statu animarum post discessum à corpore, verùm agit de resurrectione corporis, ut ex toto capite liquet. *Dices,* quid ergo sibi volunt hæc verba baptizari pro mortuis; vel super mortuos? **R.** Vatii variè explicant: nos dicimus, vel Apostolum respxisse ad ritum usitatum Judæorum, qui solebant prius abluere mortuos, antequam sepelirentur, Act. 9. 37. idque in spem futuræ resurrectionis; vel, loqui de afflictionibus, quas sustinemus pro hac doctrina, mortuos tandem ad beatam vitam resurrecturos, ejusque sequelis.

VIII.

Psalm. 66. 12. **R.** Hic purgatorium non potest intelligi, alias mentitus esset Psaltes cum diceret, se transisse per purgatorium, cum tamen in yvris adhuc esset.

IX.

Micheæ 7. v. 8. 9. **R.** Hic non possunt intelligi damnati, quia nulla est ipsis spes relicta: ergo purgatorii incolæ intelliguntur. **R.** Datur tertium, intelligebantur ii, qui super terram vixerent, quique liberandi erant è captivitate Babylonica.

Malach. 3.3. *Reff.* Agit de adventu Christi, ad diem judicii, qui formidabilis futurus est impiis, ut patet ex versu 2. Luc. 3. 17.

XI.

1 Sam. 31. 13. & 2 Sam. 2. 35. David pro morte filii, & alii pro Abner Saulis & Jonathanis jejunarunt, ut prodessent animabus ipsorum. *Reff.* Neg. hoc. Habitatores Jabel fleverunt publicæ calamitatis causa: David & publicæ 2 Reg. 1. 17. 26. 27. ut ipse interpretatur, & privatæ pro Saule, ut innocentiam suam testaretur, fleverunt & jejunarunt.

XII.

Constat ex sacris, multos ex mortuis revocatos, aut ex inferno, aut ex cœlo, aut ex purgatorio. Non ex inferno, quia inde nullus exit: non ex cœlo, quia resurrectio non esset beneficium; nam ipsos revocasset ad miseriam: ergo ex purgatorio. *Reff.* Afferimus à cœlis evocari animas, in hanc vallem miseriarum, ut exemplo nobis est Dorcas, de qua sacra Scriptura testatur, fuisse plenam operibus bonis & eleemosynis, Act. 9. 36. qualis in purgatorio locum non habet: nec tamen sequitur resurrectionem non esse beneficium, sed injustam miseriam. Nam hoc aliquatenus valeret, si ipsis cœlum obtigerisset suo merito, non verò ex gratia Dei: sed cum sit gratuitum, nulla sit ipsis injuria & pœna, si ad Dei gloriam & ad hominum ædificationem gaudium ipsarum intermittatur. Præterea, ut diu hic vivere est singularis Dei benedictio, ita denuo recuperare longavim vitam; licet vita cœlestis sit potior. Nummus aureus argenteo præfertur; tamen mendicus hunc accipiens, obtinet beneficium. Quid de Paulo dicent, qui in tertium cœlum raptus fuerat? an fuit injuria & pœna affectus, quod sit è cœlo demissus. Quid si dicamus, Deum istos ex misericordia sua remuneraturum esse instantum, ut duplicetur ipsorum beatitudo?

XIII. 2 Mac-

XIII.

2 Macbæorum 12. 43. 46. *Resp.* Hic liber est apocryphus, quia obdormitionem piam iis tribuit, qui sine pœnitentia, in flagranti delicto mortui sunt, v. 45. 2. Quia laudat cap. 14. 41. 42. 43. sui ipsius occisionem. 3. Quia se excusat quod tenuiter scripsit, cap. 15. 39. at tali excusatione non indiget Scriptor divinus. *Resp.* 2. Locus purgatorii, assignatur morientibus in peccato veniali, non mortali, quale erat horum qui peccatum sacrilegii commiserant, versu 40. *Resp.* 3. Jehuda impedit has drachmas argenti, non ut mortuis, sed ut vivis prodebet; ne videlicet mortuorum delicta imputarentur vivis, ut patet, v. 42. 46. Notum enim erat, toti populo imputari peccata particularium, ea maxime, quæ accident in actionibus publicis: sic sacrilegium Achanis imputatur toti populo, & propter id cadit in prælio, Josuæ 7. v. 11. 12.

XIV.

Luc. 16. 9. Per deficere intelligi mortem, per amicos partim homines viventes in his terris, partim animas beatas sanctorum in cœlis quæ nos recipiunt in æterna tabernacula precibus suis. *Resp.* Hic locus non potest intelligi, de suffragiis pro mortuis, qui sunt in purgatorio; nam, inquit, ut quum defeceritis, scil. illico à vita, recipient vos in æterna tabernacula, non verò quum defeceritis, id est postquam post mortem, per tot & tot annos in purgatorio purgati fueritis, &c. recipient vos in æterna tabernacula. *Resp.* 2. Per deficere intelligi mortem concedimus, & per amicos partim homines in terris viventes, & partim animas beatotum in cœlis, & ipsum Christum intelligi posse concedimus. Homines egeni in his terris degentes recipient in æterna tabernacula, benefactores suos, Deo commendando & precibus suis beneficia ipsis decreta impetrando; animæ beatorum in cœlis, generaliter rogando & in ultimo judicio testando, Christos Dominus, omnes, qui sunt misericordes erga proximos suos, qui eos auxilio & consilio juvant, qui bona opera, secundum mandata Dei faciunt, qui egenos in hac vita, & imprimis domesticos fidei ex mammone injustitiae (qui sic vocatur quia saepe iniquitatis præbet materiam, unde divitiæ vocantur irritamenta malorum, aut instrumenta Ovid. vel, quia nemo celeriter fit dives, vo-

lens esse justus) eleemosynas largas etrogando, sublevant; benefacia illis præstata sibi imputando, Matth. 24. 34. &c. & 10. 41. illos, inquam, ad æterna tabernacula recipit. Non etenim dormientibus sed bona opera facientibus, & secundum illa non ex ipsorum merito, verum ex mera Dei misericordia, vita æterna donatur.

XV.

Apoc. 21. 27. Hebr. 12. 14. Si homines, dum sunt in hac vita, perfectè non sunt regeniti, quoad gradus; ergo datur purgatorium, ubi animæ purgantur. Nam nihil pollutum ingredietur in regnum cœlorum. Resp. Regeneratio nostri, spectatur vel ratione animæ, vel ratione corporis: quoad animam, regeneramur perfectè eo momento, dum egreditur anima ex corpore, Rom. 6. 6. 7. Apoc. 14. 13. Nam earum conditio talis est, qualis erit eorum, quos dies Domini magna inveniet vivos, qui in oculi nictu mutabuntur, 1 Cor. 15. 51. & in occursum Domini in æra rapientur, & ita semper cum Domino erunt, 1 Thess. 4. 17. Ipse Bellarminus lib. 2. de purg. cap. 9. fatetur, in morte tolli somitem peccati sublata sensualitate. Quoad corpus vero regenerabimur perfectè cum illud resuscitatum fuerit, 1 Cor. 15. 42. 52. 53. 54.

XVI.

Si datur triplex status hominum in terra viventium; ergo datur triplex quoq; locus post mortem. Sunt enim quidam qui sanctissime, qui mediocriter, qui nequissime vivunt: illi recta in cœlum; hi qui impie, in infernum; qui mediocriter vixerunt, tendunt in purgatorium, Apoc. 3. 15. Resp. Negamus tales dari, qui sanctissime vivat in mundo. Nullus enim hominum est, qui non peccet etiam ad ipsum mortis agonem, quandiu enim hic homo agit, tamdiu est peccator, nisi falsum sit illud, Job 9. v. 2. 3. 20. & 15. 14. 15. 16. 1 Reg. 8. 46. Prov. 20. 9. & 24. 16. Jacob 3. 2. 1 Joh. 1. 8. & nemo hominum datur qui non oret sic, Remitte nobis debita nostra, & qui non dicat ex Psal. 19. 13. Ab occultis munda me Domine. Cum ergo sic orant, aut verè orant, aut simulatè: si verè, agnoscunt se esse peccatores; si simulatè, tum peccant sic orando. Resp. 2. Negamus quoque homines tales, qui partimpiè, partim impiè ob imbecillitatem carnis & luctam,

Iuctam cum spiritu vixerunt, usque ad agonem mortis, illos ingredi
in purgatorium. Nam tales in dissolutione animæ à corpore, in
momento quoad animam, perfectè regenerantur, quemadmodum
illi regenerabuntur in noctu oculi, quos inquinatos non paucos re-
periet dies extremus. Locus Apoc. 3. 15. agit de hominibus hypo-
criticis, quibus larvam hypocriteos Spiritus S. detrahit. Excip. Pur-
gandos eos graviori tribulatione, quæ novissimum diem præcedet,
tum igni de cœlis descendente. Rsp. Tribulationem illam futuram
omnibus communem; proinde non induet naturam purgatorii
ficticii: deinde ignis ille de cœlo descendens non erit purgato-
rius, sed eis ēndennatim impiorum atque incredulorum descendet, ut
testatur Apostolus, 2 Thess. 1. 8.

XVII.

Dantur quædam animæ, quæ se esse in purgatorio renuntiarunt,
ostendentes digitum manus adustum, quæ opem à vivis implorave-
runt, quæ maritos suos, vel uxores & domesticos, in stabulis, ad
pecuniam debitori reddendam, & alia bona, ad usus bonos dispo-
nendum, ad eleemosynam erogandam, admonuerunt, quod Diabo-
lus non faceret. Rsp. Apparitiones nullo successu urgentur, pro
adstruenda purgatorii veritate. Nam non licet consilium petere à
mortuis, Deut. 18. 9. 10. 11. Esa. 8. 19. 20. nec in causa salutis &
religionis, mortui sunt audiendi, Luc. 16. 29. Sunt commenta homi-
num, ad consilium purgatorium inventa, quo possunt crume-
nas hominum purgare & cutem suam curare usque ad voluptatem:
sunt illusiones, & præstigiæ Diabolorum, qui se in Angelos lucis
transformant quandoque bona imperando, ut sic homines in errore
confundant & à Christo abducant. Rsp. 2. Averitate alienum est,
& fabulosum, digitum animæ fuisse adustum; nam animæ non
habent digitos, neque ignis agit in spiritus, deinde ignis purgato-
rius debet exurere peccata, non substantias destruere.

XVIII.

Dari purgatorium, testantur Mahometani, gentiles, Philosophi
& Poëtae, Virgil. Ergo datur purgatorium. Rsp. Multitudo errantium
non facit errori patrocinium, olim enim omnes gentes convenerunt

in cultu idolorum, non tamen recipienda est idololatria. Deinde omnium gentium consensus, non potest efficere articulum fidei, non enim revelat spiritus hominis, sed Dei spiritus, 1 Cor. 2. 10. 12.

XIX.

Si non dabitur purgatorium, exercitia virtutum pro viventibus subtrahentur, ut opera caritatis. *Reff.* Concedo ratione culinæ Curiaæ Romanæ: ex illo enim halitum suum dicit, & sine ipso regnum ejus tam amplum non esset. 2. A veritate alienum est, sine purgatorio non posse virtutum exercitia esse. Nam non periiit caritas tempore Apostolorum, neque hoc sæculo apud Christianos non agnoscentes purgatorium: ad virtutes homines excitando, ponamus ob oculos mandatum Dei, & nostram necessitatem, Matth. 7. 12. vitam æternam, quæ non nisi bona opera facientibus & secundum bona opera, licet non propter opera, ut causam meritoriam, ex vera Dei promissione, gratis & propter meritum Christi, nobis dono datur: tandem perpendant, condemnationem æternam paratam esse bona opera non facientibus, Heb. 12. 14. 1 Cor. 6. 9. 10. Et sane qui gehennam non metuit, nec purgatorium metuet. Etiam qui Pontificiorum purgatorium statuit, unde liberari queant per indulgentias nummisendas, latam portam ad peccandum aperit.

XIX.

Si non dabitur purgatorium, tum iis, qui veniam aliquoties consequuti, iterum relapsi de misericordia Dei desperant, nulla consolatio dari potest. *Reff.* Imo verò datur, dum modo aggnoscant peccata sua, & ex intimo animo dolent, non tantum pœnæ metu, sed ex virtutis amore, quod Deum Patrem clementissimum, misericordissimum, peccatis suis offenderint, & deinceps promittant firmo proposito, se amplius jam non peccaturos, pro modulo regenerationis & gratia Dei assistente: & talibus instillandus est amor Dei patris, Rom. 5. 8. promissiones ejus veræ, Ezech. 18. 21. 22. & 33. 11. 12. Roman. 4. 5. Matth. 5. 6. 1 Joh. 1. 9. 10. Esai. 55. 1. 2. 6. finis Christi in hunc mundum missi, 1 Tim. 1. 15. 16. Matth. 11. 28. Luc. 4. 18. Matth. 9. 12.

XX.

Si plurimi tales dantur, qui pœnas temporales castigationis, debitas propter peccata admissa, ob subitaneam & insperatam mortem, in hac vita non exsolverunt, tum dabitur purgatorium. Ver. p. erg. & post. Resp. Distingu. inter pœnas quas vel Deo judice; vel hominibus decernentibus, exsolvere debebant. Non quas Deo judice. Nam si Deus constituisset peccatorem affligere propter peccata commissa in hac vita, utique ille non decederet antequam eas sustineret, non enim Deum ventura fallunt, alias non esset omniscius, omnipotens, & decretum ejus esset irritum; sed quia tales decedunt sine afflictione, hoc voluntati Dei libertimæ tribuendum est. Respetto hominum decernentium, concedimus plurimos obire diem suum, antequam puniantur, qui si fideles fuerint, in agone mortis obtinent remissionem.

C O R O L L A R I A.

I.

Patribus in V. T. fuit promissa vita æterna, & non ex operibus legis, sed ex fide Jesu Christi salvati & justificati sunt.

II.

Non erat Limbus Patrum in V. T. in quo detinrentur Patres usque ad resurrectionem Christi, Matth. 8. ii. neque nunc datur limbus infantum, in quem releguntur non baptizati ut priventur visione Dei.

III. *Anime*

Animæ humanæ sunt immortales, neque dormiunt ad diem judicii, ut nonnulli somniant.

Fideles decedentes ex hac vita statim felicitate aeterna fruuntur: infideles vero condemnantur.

F I N I S.

C O R O L I A L A

